

ex rationibus civilibus sustineri nequeat, æquitate tamen se commendat.

## LIB. XXXV. TIT. I.

DE CONDITIONIBUS ET DEMONSTRATIONIBUS ET CAUSIS ET MODIS EORUM, QUÆ IN TESTAMENTO SCRIBUNTUR.

## OBSERV. CMXLI.

*DE conditione*) Diximus Observ. 912. quod circa legata etiam occurrat *modus arbitrarius*, qui in eo consistit, quod testator vel *pure*, vel cum *aliqua adjectione* leget, quæ diversitas diversam ejus voluntatem indicat, hinc liquet, quod doctrina hujus tituli sit juris Gentium, interpretatio tamen voluntatis certior nonnunquam à jure Romano dependet, *add.* Observ. 937.

## OBSERV. CMXLII.

*Cautio Mutiana*) Hæc quoque rationibus communibus nititur, huc enim facile duxerit omnibus hominibus communis ratio, ut legata, sub conditione negativâ relicta, legatario sub cautione omittendi facti præstemus, quod tamen illa cautio præcise referatur ad eas conditiones, quæ ante mortem legatarii existere nequeunt, id juris Romani est, quod stricte hodie servari, vix crediderim.

TIT.